



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum V. Ad decorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. *Nisi parcius vivendo velint eum admittere.*

**1** Notandum primò. Si Superior Capitulo, aut Ecclesiæ Reçtori præsentet Clericum, cum mandato, ut eum instituat, exceptio objici potest, quòd Ecclesiæ facultates non sufficiant ad alendum plures. Ita etiam docet lib. 4. tract. 2. c. 16. n. 1. Multò autem magis excipi poterit, si Canonico- rum, aut beneficiorum numerus determinatus sit, præterquam, si proventus Ecclesiæ multum aucti fuerint, c. cum M. 9. de constitutionibus.

**2** Addit verò Gl. Marginalis communiter approbata, quòd volentes Clerici ultra facultates Ecclesiæ, recipere possint, si parcius vivere velint ob cultum divinum augendum, ita tamen, ut non egeant.

### CAPITULUM V.

#### Ad decorem.

##### PARAPHRASIS.

Præfatur Innocentius III. pertinere ad decorem tum Ecclesiæ S. Sophiæ, tum aliarum, quæ Constantinopoli sunt, ut viri literati, morum honestate conspicui, ex quibuslibet orbis partibus, in ijs instituantur; cum itaque relatum fuerit, quòd Patriarcha Constantinopolitanus aliarum nationum Clericos spernens, Venetos tantum in dictis Ecclesijs instituire velit, & non attendat, quòd in omni gente, qui facit justitiam, acceptus sit Deo, neque sanctuarium Dei jure hæreditario possideri deceat, idèd mandat Apostolicæ Sedis inibi constituto legato, ut viros literatos, atque idoneos, undecunque originem ducant, in ijs Ecclesijs, maxime autem in majore, aut Cathedrali instituere non prætermittat; alioquin Patriarcha indignum se reddet, ad cujus obedientiam, aliarum nationum Clerici compellantur; & legatus talia ad Pontificem referre debet, ut cognosci queat, verumne sit, quòd refertur, Pa-

triarcham Venetis de ea re promissionem fecisse.

##### SUMMARIVM.

1. *Diversitas nationum Collegio Canonico- rum honori est.*
2. *Ita ut reprobari debeat promissio, qua fit de certa nationis hominibus ad Canonieatus assumendis.*

Notandum primò. Nationum diversitas non dedecet, sed potius cohonestat Collegium Canonico- rum, ut hinc etiam appareat, quòd omnes gentes Deus in unitate fidei, ac mutua charitatis copulavit; non tamen reprehendi potest multarum Ecclesiarum consuetudo, secundum quam indigenæ exteris in assecutione Canonieatus, aliorumque beneficiorum præferuntur, argum. c. nullus 13. dist. 61. quod hic allegat Abbas n. 4. dans rationem istam, quia indigenæ facilius, quàm alienigenæ in perpetua residentia continentur.

Notandum secundò. Id reprobari debet, si certa genti, aut familiæ promissio fiat, quòd ex illa tantum ad Canonieatus, & beneficia Ecclesiæ assumendi sint, quia per tale pactum libertas Ecclesiæ impeditur, multi alij idonei negliguntur, & interdum minus idonei promoventur. Ceterum si beneficij alicujus fundatio acceptata sit pro personis ex certa gente, civitate, aut familia oriundis, talis conditio, utpote quæ inhonesta non est, impleri debet, dummodo, qui præsentantur, idonei sint, quod praxis Ecclesiarum satis ostendit.

Notandum tertio. In Cathedrali Ecclesijs magis necessarium est, quàm in alijs inferioribus Ecclesijs, ut sint viri literati, etiamque periti.

### CAPITULUM VI.

#### Cum venissent.

##### PARAPHRASIS.

Apud Sedem Apostolicam controversia agitabatur inter Eboracensis Archiepiscopi procuratorem, & Archidiaconum Richemundiam,